











D  
GE  
T

GR

DN.  
POTE  
A U

FAC

SUMM  
A

A

Typis J

9.

*SPECIMEN*  
**MANUDUCTIONIS AD**  
**VITAM LONGAM,**  
QVOD TRADIT  
*REGULAS*  
CIRCA

**AEREM**

HOMINIBUS OBSERVANDAS,

Wie in Betrachtung der ihn umgebenden  
Luft der Mensch sein  
Leben höher bringen könne.

*ID QVOD*  
PRÆSIDE

**DN. GEORGIO DE-**  
**TWARDINGIO,**

Medic. Doct. & Profess. Publ. Ducal.

Prim. & Ord. Facult. Medicæ, Collegii Ducalis ac totius  
Academiae Seniore gravissimo, Acad. Natur.

curios. Colleg. Celeberrimo,

PATRONO ac PRÆCEPTORE ad cineres usque devenerando,  
LOCO CIRCULARIS DISPUTATIONIS

*Publico examini siset*

**JOH. JAC. HAUSMANN. Budiss Lus.**

Ad diem 7. Martii, 1722. In AUDITORIO MAJORI.

Recusa Rostochii, Typis JOH. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC.  
& UNIV. Typograph. 1724.

(2)

MANUSCRIPTUM AD  
VITAM LONGAM  
QVOD TRADIT  
REGVVS

# AEREM

DE AERIS VITAE  
VITAE VITAE VITAE  
VITAE VITAE VITAE  
VITAE VITAE VITAE


DR. GEORGIO DE  
THARINGIO

Medic. Dr. & ...  
Academiae Seniore gravissimo A. ad. Nat. ...  
PATERO ...  
CIRCULUS ...

JOH. JAC. HAUSMANN. Buchh. Luf.  
Ad diem 7 Martii, 1722. in Auditorio ...







## PRÆLOQVIUM.



Uam receptissima fit hæc Regula: Qui velit finem. quod hic etiam debeat media admittere, quæ ad finem illum obtinendum faciant: tam, proh! exultat eadem sub voto *longevitatis*, quam equidem plures anhelant, sed paucissimi de notitia, minus adhuc de observantia regularum ad illam facientium probe solliciti sunt. Accurate satis & vere genium hominum expresfit musa Platonica genium undique referens Philosophus *Maximus Tyrius*, quando mortem homines metuere miratus est, vitam tamen negligere; id quod Germanice reddideris: **Die Menschen erkenneten / das Gesundheit und langes Leben der edelste Schatz sey / und giengen dennoch mit keiner Sache liederlicher umb.** Nec modo redundat in ipsos contemptores regularum prava illa hallucinandi lubido, das sie süßten / was sie gelüßtet; sed, quemadmodum jure dolemus Ephoros, qui, ut adolescentibus præcepta morum ac doctrinæ instillent, constituti sunt, si quando horum delicta luere constringuntur, Medici hodiernum videntur condemnati, ut cum agrotantibus ex ingluvie. intemperantia, lascivia, animi inconstantia & hujus generis pluribus mentis corporisve morbis, communem causam agant, multise

tisve animi angoribus ac corporis defatigationibus pendant isthæc aliorum commissa, quando illorum officium est supeditare consilia ad vitam longam facientia, & , sicuti præter spem anomalix obvenerint, has corrigere aut emendare. Siquidem vero nunquam satis docetur, quod non satis discitur, quis vitio verteret, si Diætæ amorem ad præoccupandos morborum insultus, insidiasve vitæ longæ, quas frivola mens struit, detegendas, omni tempore fideles docuerint Sanitatis Præfeti. svaserint, commendaverint, iterum iterumque inculcaverint; an vel nonnullos amor longævitatæ posset ad semitam rectam ducere. Collimat eo pariter præfens institutum, quod, ut non omni successu frustretur, velit summus rerum Moderator, cui nostra semper volumus esse commendata.

## REGULA I.

**A**ëri vario, imprimis minus calido, a teneris est asvescendum.

## SCHOLION.

Quandoquidem homo primum diversorium cum altero hoc majori & spatioso commutans, aerem semper habet circumfusum sive valeat, sive minus, habet, ut asvescat huic comiti suo, & ut illi ad hunc attendant, quorum curis novus ille mundi hospes committitur. Tribus vero modis commercium homini cum aere est: *quatenus* in pulmones inspirando recipitur: *quatenus* corpus humanum ambit: *quatenus* cum saliva & spūto, per vices etiam cum cibo & potu in ventriculum descendit. Deficiunt equidem in prebando, qui contendunt, aerem, sive in pulmonibus, sive per arbitum, i.e. per poros cutis, sanguini substantialiter communicari; cum unica

unica hæc via per deglutionem sufficiat; & magis amicum sanguini aerem reddat: nec tamen ab hinc negari poterunt, siue commoda, siue incommoda esse magni ponderis, quæ ex prioribus binis aeris salutationibus æconomia vitalis percipit. Sub aeris quippe conditione *temperata* panduntur cutis ostia, quo transeant halituosa reliquis fluidis *recepta* futura, & ex pulmonibus auferantur itidem fluida *citra* omnem moram; illa vero *frigida* existente, clauduntur ostiola eadem. nec sanguini permittitur, qua solebat, libertate, ad ultimas Microcosmi oras procedere. Hinc halituosa illi manent immixta, non *citra* molestiam & incommoda varia per alias vias releganda. Pulmonum itidem expansio fit suspenso more: nec ergo excretio hic absolventia iusta quantitate peragitur. Quod si *calidior* sit aer, ruunt magis halituosa & per cutem & per pulmones, quam ut placide abeant, ut inde nimium pendat sanguis & sub lassitudine corporis sua iactura pateat. Sub his ab aeris qualitate oriundis variationibus valde attendenda est *sensibilitas* corporis &, quæ inde fluit, *astimatio* aeris *moralis*. Quo magis illa, eo *promptior* via in præcipitia consilia subveniendi corpori per sanguinis ad interiora revocationem, per halituosorum ad alia organa ablegationem, per excludendorum sub musculorum interstitiis hærentium pressionem inopportunam, per halituosorum in mucosam formam transformationem &c. Ex quibus tot anomalix, quas morbos dicimus, sunt oriundæ. Quæ cum ita fieri quotidiana experientia doceat, nullum vel præfens magis vel magis solidum dari potest consilium, quam excussa illa anxia de aere paulo variante, in prius frigidiusculo, sollicitudine corpora puerorum aeri variæ tantillum concedere, quo ex frequentia huius variationis Principium vitale sensim remittat de astimatione illa *moralis* in præiudicium corpori suo cedente; nec ergo actutum statuat pro defensione sanguinis, de halituosa secretionis & excretionis sufflamine, ad alia loca ablegatione &c: in prius quando sensim observat damna, quæ antevertente studeat magis metui, quam vere obvenire.

## COROLLAR.

*Nimia sollicitudo de valetudine infantum perdit infantes, & quod de simiis dicitur: daß diese ihre Jungen aus Liebe zu Tode drücken. valet de illa quoque; nam reddit indolem sensibiliorem, sensibilitas vero primus gradus est ad invalitudinem.*

## REGULA II.

Aerem quivis sibi habeat salutarem, qui sibi diu in illo commoranti nequitquam molestus, vel respirando gravis.

## SCHOLION.

Regulas diæteticas dare, quæ non possint observari, æquivalet legibus conditionem hominis excedentibus, quæ in risum & contemptum fatiscunt. Ad tales referas monitum de individuali electione aeris, sive assignare velle cuius temperamento & actioni proportionatum aerem. Sufficiat substituisse in binis his experimentis, quæ statæræ instar sint pro iudicio de salubritate aeris individuali ferendo: Si quando homo ab aere illo, quem inhabitare negotia sua jubent, sentiat in animo morositatem, & lassitudinem corporis citra causas alias manifestas: tum exspiratio fit quodammodo præpedita; quæ ambo vero remittant a mutatione illius loci; concludere poterit, sibi non convenire illum, sed esse cum alio commutandum.

## COROLLAR.

*Regis Hispaniarum frequentes mutationes calæ, quæ leges antiquæ illi imperant, sed quas hodie sperni constat, quin originem habeant, sub terris tanto calore factis, sanitati Regis consulere, vix dubium admittit.*

REGU-

## REGULA III.

Præstat, si electio concedatur, aer *campestris* civico, *agrestis* prateusi, *mediterraneus* maritimo, *montanus* palustri, *siccus* pluvio, *sudus* nebuloso, *meridianus* matutino, *diurnus* nocturno.

## SCHOLION.

Quandoquidem omne momentum salubritatis, quod ab aere corpus nostrum habet expectandum ob effluvia est, quibus ille magis minusve scatet, & horum majorem vel minorem, regularem vel anomalam modificationem: ratio in aprico est, hunc aerem præstare, qui ex minori atomorum crassarum præsentia tenuis, ex absentia vaporum sensibus ingratorum purus, ab humidis nebulosis liber, ob ventos leniter spirantes modice agitatur, sicque uno verbo *Serenus* Ex quibus porro inferre licet, *campestrum*, quem nec densa incolarum congeries, nec opificiorum tetri halitus, nec tam densi fumî stipant, *civico* præcellere, modo metallifodinæ exulent; *Præensem* uda indole cedere *agresti*; qui *maria* lambit palmam linquere *aeri terre firma* coextenso; *siccum* sanitati magis conferre præ *pluvii* multoties madido; *sudum* itidem quem nebulae aut ignorent aut per pauca momenta occupent; præcellere quoque disperso a solis radiis nocturno humore, *aerem meridianum matutino*, quando nec pruinam nec rorem aurora remittit; id quod de *nocturno* pariter statuendum.

## COROLLAR. I.

Juste si sentiamus non aer est Objectum vel Physici vel Medici, inipote cuius genus in hunc usque diem ignoratur: sed atmosphaera, s. e. quatenus aer sive vehiculum sive receptaculum, sive diversorium, sive spongia (perinde enim est, quo vocabulo metaphorico quis insinuat

*insinuationem hanc exprimere velit) effluuorum a cælo & ex globo terra-  
ueo manantium & pro horum quantitate, qualitate, motu con-  
stantia, inconstantia, considerationem & examen admittit ac po-  
sulat.*

## COROLLAR. II.

*Distinctionis modo memorata neglectus, aut, si mavis, hal-  
lucinatio circa illam, mater dicenda tot phrasum conceptu difficilium,  
si non incongruarum: quando quæ aeri simplici a scriptoribus suæ da-  
ta, v. g. esse pabulum hominum, esse elementum, atmosphæra  
suæ concessa; & econtra, quæ nisi de atmosphæra possunt expectari  
esse mollem, tenuem, lævem, elasticum, afficere corpus, in  
sua substantia frigidum esse aeri concessa.*

## REGULA IV.

*Aer consuetus, quamvis insalubrior, cum pe-  
regrino quamvis salubriori, contestim non est mu-  
tandus.*

## SCHOLION.

*Consuetudinis natura durus ille cuneus est, qui animos  
negantium retundit & arguit, dari principium vitale in ho-  
mine ratione præditum, quandoquidem negari nequit, da-  
ri consuetudinem in motibus vitalibus, nec vero hæc colloca-  
ri potest, vel in agente, vel in patiente materiali, citra nexus  
impossibilitatem. Hac Naturæ noverca ad se non modo rapit  
jus disponendi de motibus secretoriis atque excretoriis volun-  
tariis, involuntariis, ut fiant, vel omittantur, ut observent  
horas, menses, annos, phases lunæ, tempestates aeris: fiant  
ad modulum antiquum, quoad certa loca, &c. sed in judi-  
cem se erigit & dictatorem qui de salubritate & insalubritate  
objectorum graviter decernit, ac in immorigeros severis sime  
statuit.*

## CIRCA AEREM.

statuit. Hanc ergo consuetudinem nemo impune læserit, in eligendo aere insveto, quam videantur graves hæ rationes pro hujus majori *serenitate, puritate, temperie* salva veritate allegandæ. Meticulosa de hac temperie Aëris Natura, utpote sibi minus familiari, suspensa manu permittit sanguinem ambulare per superficiem corporis, ut valeat transpiratio, unde, quæ in subcutaneis hærent effluvia, incuneata ulcera pariunt sub forma *scabiei*; in pulmonibus carminationis officium æque meticolose fit, subsistentibus in glandulis bronchialibus mucosis per *tussim* rejiciendis, quam *pht hisis* aliquando excipit; aer qui cum chylo ad sanguinem venit, ut hospes peregrinus, de cujus amicitia nondum constat, agitur per vasa, quo certo iterum aufugiat, unde *febres, imprimis continua.* Præter quod, si blandissime principium vitale de aëre insveto statuat, *lassitudo* quædam & animi incomprehensibilis nec exprimenda facile *inquietudo* advenas occupet ac angat.

## COROLLAR.

*Non fidum est argumentum, aërem Lipsiensem Rostochiensem superare, si de salubritate sermo sit: quod qui Lipsia ad nos vehuntur, morbum quendam aut certe valetudinis decrementum per primos accessus sui menses sustineant; item quod hoc cibus hujus loci crassioribus & salitis sit tribuendum: quandoquidem qui & Lipsiam ex nostra urbe contendunt, experiuntur itidem quandam circa motus vitales difficultatem; Insuetudo sub istis comparationibus probe est attendenda.*

## REGULA V.

*Aërem ad tempus mutare confert in morbis diu-  
turnis.*

B

SCHO-

## SCHOLION.

Rationem hujus regulæ quivis ex scholio precedente colligere poterit, ubi probatum fuit, *ob insectum ærem circumfusum nova quædam moliri Naturam, sibi ut consulat,* disponere aliter de *transpiratione insensibili*, de sanguinis per *pulmones* pressione, de aëre per gulam descendente. Quantumvis autem hæc nova Naturæ consilia ex defensione corporis oriunda videantur vitali negotio in præsens præjudicio futura, imprimis si homo morbo quodam chronico jam confectus; nec tamen abhinc statim culpanda sunt, dum minora hæc mala toleranda imo optanda, quo graviora cum morbo symbolifantia avertantur. Nec argui magis Medici poterunt mutationes tales aëris suadentes, ac Chirurghi, qui aliquando ulcera studio consolidant, licet probe noverint hæcere adhuc peregrina ex illis protrahenda. Ab ocllusione etenim, dum nova fit suppuratio propter hæc peregrina proscribenda, illa vero in loco horum protractioni vel exclusioni magis commodo, est quod scopus solidæ curationis longe jam facilius obtineat.

## COROLLAR.

*Quod hodierna itinera Papicolarum in Italiam, Hispaniam, in Græciam attinet, da man Wallfabren anstellet / si ad primam originem horundem attenderimus, saluberrima suæ consilia dieteticæ de mutando aëre valetudinariis data.*

## REGULA VI.

Aëris mutationes *soleennes & evidentes sub æquinoctiis*, in sensibilibus etiam sub *solstitiis* posunt in *Plethoricis* aut *sanguinis evacuationem* artificialem, aut



aut *subductionem* victus ordinarii & motus paulo adau-  
ctos; in Cacochymicis vero *evacuationes serosas*  
per cutem & renes, vel *mucosas* per tractum inte-  
stinalem. Præstat autem præoccupare illa tempo-  
ra, citra tam anxiam dierum electionem.

## SCHOLION.

Quam operosum se stiterit, multæ lectionis & fa-  
cundia Medicus, D. *Joan. Baptista Werlosching* in disvadendis  
curationibus verno-autumnalibus, ut *demonstrationem*, quam  
vocat, *medicam*, illis nec sanitatem conservari nec futuros  
morbos præcaveri, minus vitam prolongari posse, peculiari  
libello incluserit, quam multorum Medicorum Epistolis si-  
bi subscribentibus adjectis corroborare annis fuerit; tam  
omnes paginae testantur, se Rhetorem magis egisse quam  
Clinicum, & tandem *curationes verno-autumnales* (non lau-  
davero promiscuum hoc medendi studium) approbandas  
fore, quamdiu succedaneum ipsarum, quod commendat,  
*motus corporis* opportunus, aut à plurimis non possit, aut  
non velit, in subsidium præservationis vocari. Siquidem  
vero sub aëris clementia, quæ verna temperie exspectan-  
da est, sanguini panduntur viæ, per cutem ut deponat  
immixta sibi fœculenta, hæcque exclusio fit cum aliquali  
ejus turgescencia, qua vasa & viscera insimul distendun-  
tur: non leve præjudicium à quantitate sanguinis instat,  
id quod præoccupatur sincera ejus profectione, sive hæc  
per *Venesectionem* fiat, sive per *scarificationem*. Pariter sub  
autumni inclementia & inconstanti tempestatum constantia,  
quando ob aërem adeo varium variat quoque principium  
vitale quoad ablegationem materiae sanguineæ ad pomæ-  
ria corporis, turbæ non leves surgunt in negotio secretionis,  
hinc in circulo sanguinis, sub quibus denuo justus metus  
succum-

succumbentiæ, si insimul plethoricus corporis habitus; huic ergo evacuatio iusta sanguinis detrahit, Solatium, quod *Cacochymici* ab evacuationibus seroso-mucosis habent, in hoc collocandum est, quod sub mutationibus modo memoratis quoad circulum sanguinis, si desint, aut non tanta quantitate adsint, mucoso-serosa, illa, onere tali levata, alacriter magis disponat pro aëris injuria arcenda in corporis sui defensionem & de reliquiis mucido-serosis vivide magis statuatur.

## COROLLAR. I.

*Phænomena corporis sub aëris mutationibus v. g. cutem crispari, transpirationem sufflaminari, animum esse morosum, &c. non ab aëre sunt, quod vulgo asseritur: sed propter aërem surgunt*

## COROLLAR. II.

*Medicus qui frequenter sibi curat venam tundi, pharmaca sumit, & medicamentis sibi subvenit, aut valde valetudinarius sit, oportet; aut non intelligit, vel spernit Diætæ regulas. Turpe est Medicum juvenem pharmacis indigere.*

## REGULA VII.

Ad morbos contagiosos evitandos confert sputum rejicere & abstinere à laborantium cibis.

## SCHOLION.

Vix plagula sufficeret, si nominatenus modo recensere vellem encomia tot præservantium grassantibus morbis malæ indolis, quando Hic radicem vel *salami aromatici* vel *cardo-*

*cardopatiæ vel angelicæ* : Ille *suffumigia* & hæc inter fascinantem *fumum Tabaci* : Ille *rotulas* ore tenendas, laudat, svadet, prædicat, Centrum ætiologiæ operationis collocandum est in *rejectione sputi*, quæ copiosiore ejus in os defluxum excipit, hinc *exclusionem acris infecti* cæteroquin deglutiendi, quocum contagio plena Atmosphæra posset ventriculum intrare. Perinde ergo Medico esse poterit, quam quis velit sibi *formulam*, quam *radicem*, quod *prophylacticum* masticandum eligere, modo commendet à detentis in ore esse frequenter exspuendum. Æque facilis est via contagii, si *cibi* assumantur, quos saliva morbosorum jamdum inquinavit.

## COROLLAR. I.

*Que vis sit* consuetudini *abbine* intelligere est, quod, qui huic *prophylactico*, *rejiciendi* sub *conversacione* cum *ægris* nempe *contagiosis* spiritum, aliquot vicibus studuerunt, *abbine* sponte sentiant *majorem* *salivæ* *affluxum*, si talibus *ægotis* adsint, qui ad *exspuendum* illos cogat; *citra* quod *idem* *obveniat* sub *commercio* cum *aliis* *ægotis* non *contagiosis*.

## COROLLAR. II.

*Aerem* qui *suffumigiis* *corrigenere* jubent, hinc *tempore* *pestis* *formulas* *prescribunt* *suffumigi* *orum*, huic bono quæ *terro* suo *odore* ut, sint *funus* *pestis*, quo ut *bina* *venena* *simul* *exspirent*, non *fructuosus* *agunt*, ac qui *scutica* *aquam* *volunt* *secare*; *Nec* *tamen* *suffitionem* *facere* *benecolentibus* *prohibendum* est.

## REGULA IIX.

*Aëris* *repentinas* & *evidentes* *alterationes* *evitare* vel *declinare* *juvat*: *sin* *evitari* vel *declinari* *neque-*

nequeant, moderamine *motus corporis localis* corrigendæ, vel *balneis*.

## SCHOLION.

Quia, quod antea jam allatum est, omne momentum ab aëris mutationibus respectu corporis expectandum in hoc centro terminatur, quod excretionis halitosa negotium inde mutetur, & abhic, si inhibeatur, onus exclusionis illius imponatur visceribus internis, imprimis pulmonibus; sin nimium urgeatur, pendant reliqua viscera in suis actionibus, facile intelligere est, quo majoris celeritatis aër nunc frigidus affundatur, nunc calidus, crassus nunc tenuis, transpirationem nunc subito sufflaminari, nunc iterum intendi, nunc difficiliorem esse, nunc in sudorem converti, sicque vitale Principium confundi in curis corpori suo impendendis. Remedium ergo certissimum est dicendum sub istis aëris vicissitudinibus & insidiis *domi* atque intra privatos parietes *se continere*: sin hoc non liceat, cutem defendere à libera alluvie aeris *vestimentis commodis*. Quodsi & hoc non sufficiat, blando vel paulo adaucto motu corporis transpirationem denuo in ordinem redigere. v. g. *apricando, curru vehendo, modice saltando, parvæ pile lusu* &c. Faciunt quoque ad medelam nunc *balnea exaliantia*, nunc *frigida* lavari, utpote quibus externis adminiculis transpiratio mirum in modum regi & dirigi poterit. His subsunt frictiones.

## COROLLAR,

*Sub aëris vicissitudinibus principis damnorum imminentium obflare, medicina est, omni alia, quæ abhinc surrogatur, major.*

## REGULA IX.

Qualis etiam fit aëris circumflui conditio, si quando

quando ille evitari nequit, ad illius noxas evitandas multum facit *animo esse obfirmato.*

## SCHOLION.

Ea est hodie negotiorum ratio, ut domi se continere non cuivis liceat; Sed & talis aeris conditio, ut nunc *crassus* nobis offeratur, nunc *gravis*, nunc *nebulosus*, nunc *pruinosus*, nunc *frigidus-humidus austrinus*, nunc *frigidus-siccus borealis*. Finge animum in tali aere versantis timidum esse atque demissum, quam non trepidulum Principium vitale transpirationis & admissionis aeris in pulmones negotia variabit: varioque eventu vitales actus adornabit, ut multimodi tales motus non possint non sanitati vergere in præjudicium! Quando econtra homo hoc, tu contra audentior ito, firmiter suo pectore habeat fixum, ad declinationes istas aeris animum non demittet, exponet, ac vult negotiorum ratio, corpus vestitum tempestatum, nec circa vitales motus erit illa vacillatio, nec circa transpirationem alteratio notabilis, firma ergo sanitas & valetudo constans. Quis tamen disvadere vellet mollis animi inviduis, vel *fistula tabaci*, vel *abliguritione Spiritus Vini* (modo ne quid nimis) vel *radicis irco florentinae frustillo*, vel *pugillo rutæ contuse* ut se, quod ajunt, reficiant & muniant ab aere impuro? Conferunt etenim hæc similiave hujus comatis ad abjiciendum metum de aeris circumfusi noxis: licet non sufficiant ad istius pravam indolem corrigendam.

## COROLLAR. I.

*Non majus argumentum dari poterit noxas, ab aere circumfuso minus seavi, imo fetido, oriundas magis ab estimo hujus morali quam physica indole expectandas, meticulositatem ergo subesse; quam si attenderimus, non item fetidos odores bruta animalia afficere, sed dari longæves vespillones, piscatores, rusticos: longævas*

*gavas item præceptrices, lotrices, &c: Qui ad consuetudinem confugiunt, ut assertum præcedens elidant, hi corollari huic ambabus subscribunt.*

## COROLLAR. II.

*Perquam multi in morbos non incidere, nisi crederent se jam in morbos incidisse.*

## COROLLAR. III.

*Assertum entheorum sectas ab acris diathesti oriundas esse, ad quas referas Flagellantes Germaniæ, Illuminatos Hispaniæ, Trepidantes in Anglia, nimis longe videtur esse petitum; nam pavili i.e. ficulneo fundamento nititur, ac Enthufiasmum per philtra physica posse prorogari.*

## REGULA. X

*Aeris calor flabellis vel umbræ delectu temperandus; non item frigidam hauriendo; frigus vestibus commodis, pellitis etiam, arcere & artus rigentes frictione restituere præstat, quam remedium post fornacem quærere.*

## SCHOLION.

*Noxas tam ex calore, si Syrius urat, quam ex refugio ad hypocausta, sub magnitudine frigoris, experientia singulis annis docet. Nec tamen sapere volunt, qui sensuum oblectamento auscultant. Ab uno extremo in alterum dum ruunt tales, veniunt simul in rationem Lybitinæ, frustra renitentibus Medicis. Præferenda ergo artificia & ad colorem mitigandum & ad frigus repellendum, quæ in regula sunt allata.*

## COROLLAR.

*Ad Syrenes referas tabernas liquores glacie concretos per æstatem vendentes, quas Magistratus deberet arcere, nam ipsos Ulysses etiam perdidit.*

•❧❧ (o) ❧❧•

01 A 6505

7

ULB Halle 3  
002 937 298  


nur 10. Stck 7A-70C  
bücher verknüpft

V.D.R. V.D.R.







9.

ECIMEN  
UCTIONIS AD  
M LONGAM,  
OD TRADIT

REGULAS  
CIRCA

REM

JS OBSERVANDAS,  
tung der ihn umgebenen  
S der Mensch sein  
ber bringen könne.

ID QVOD  
PRÆSIDE

ORGIO DE-  
RDINGIO,

& Profess. Publ. Ducal.  
Medicæ, Collegii Ducalis ac totius  
ore gravissimo, Acad. Natur.


Colleg. Celeberrimo,  
ORE ad cineres usque devenerando;

CULARIS DISPUTATIONIS  
publico examini sset

AUSMANN. *Budiss Lus.*  
1722. In AUDITORIO MAJORI.

JOH. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC.  
W. Typograph. 1724.

(2



B.I.G.

Farbkarte #13